


Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo piu gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.



IACOBI RVFINI CARMEN

De obitu

BARTHOLOMÆI ELIÆ PATAVINI,

Eiusdemq; vxoris luctu, in funere trium natarum.

AD PAVLVM RHAMNVSIVM VENETVM.



VERONÆ,

Apud Hieronymum Discipulum,

M D L X X X V I.

ARGVMENTVM.

ARTOLOMEVS ELIAS Patauinus, ſatis honeſto inter ciues ſuos loco natus, diu multumq; litigarat, ac tam ſæpe cauſa ceciderat, vt inde maximam rei familiaris iacturam fecerit. & iam, neq; æs alienum, quod grande conflauerat, diſſoluere: neq; tuto in ciuitate eſſe, aut ſaltem ſatis honeſte pro dignitate familiæ ſuæ, in vita poſthac permanſurum ſe exiſtimaret. Itaq; fœdiſſimũ teterrimumq; conſilium ſecutus, tris paruulas atque eaſdem innocentes filias, quod ad eas dotandas reliquum nullum iam ſupereſſet patrimonium quarto Idus Iunij M D L I I. lecto cubantes interfecit: falſa nimirum ſpecie miſericordiæ in crudelitatem lapſus. Mater miſerrima nouo horrendoq; ſpectaculo exanimata, primum collabitur, mox necatas filiolas deflet: ſortem ſuam acerbiſſimam conqueritur: ac tanti facinoris immanitatem deteſtatur. Pater, ſe quo facto pium putarat, ſceleratum iam intelligens, repentino furore actus patrijs è finibus ſe furtim proripuit: perq; inhoſpita loca nocturnis itineribus errans in vicum tandem GRIGNAEVM quem vocant (is iacet inter Alpium iuga prima) ſeſe recepit; atq; ibi demum nefarij atrociſſimiq; poſt hominum memoriam perpetrati flagitij conſcientia victus, ſibi ipſe mortem conſciuit.

IACOBI RVFINI CARMEN de obitu Bartholomæi Eliæ Patauini eiuſdemq; vxoris luctu in funere trium natarum.

Ad Paulum Rhamnuſium Venetum.



T patris (infandum) crudeli cæde iacebant
Inſontes natæ, effuſoq; cruore madentes
Multum infelicis ſtabant ante ora parentis.
Illa quidem ſubito tam diro exterrita monſtro
Concidit, exanimemq; calor, ſenſuſq; relinquunt.
Collapſam accipiunt comites pia turba, fouentque,
Et fugientem animam ſiſtunt, reuocantq; vigorem.
Vt vero effari potuit, miſerandaq; ſecto
Terna (nefas) iugulo natarum corpora vidit,
Sciſſa comam, laniata genas, hos pectore ab imo
Effudit gemitus, has protulit ore querelas
Exclamans, & tecta implens vlulatibus altis.
Quid primum querar infelix? crudelia dicam
Sydera? crudeles terras? crudelia fata,
Hos quæ me miſeram diros ſeruaſtis in vſus:
Tris ego ſpectarem natas vt funere eodem
(Prò dolor) extinctas? vno tria pignora adempta
Tempore? & heu triplici conſperſos cæde penates,
Funeſtamq; domum cumulata morte viderem?
Siccine pro thalamis, pro ſperatis hymenæis
Inferias tumulumq; feram, condamque ſepulchro
Infantes, primo raptas in limine vitæ,
Heu dulcis natas? heu quas mœſtiſſima mater
Vos teneo? vt turpi fœdatos ſanguine cerno
Et teneros artus, vultuſque? vt frontis & oris
Ille decor cecidit? ſubito vt cecidere ſenectæ
Spes requieſque meæ? noſtra vt ſolatia cuncta
Interitus ſecum trahit, ò mea pignora, veſter.
Ergo ego te poſthac nuſquam Lucretia cernam?
Nuſquam Helene blandis nectes mea colla lacertis?

Nec mihi Laura tuas posthac sperare licebit
Blanditias? neue ipsa meos amplexa fouebo
Amplius heu miseros partus? suspiria tantum
Et dolor, æternus dolor, & lamenta supersunt.
Cur mihi non eadem ingratam manus impia vitam
Eripuit? cur non rerum sæuissime, eodem
Me miseram obtruncas ferro? mihi muneris instar
Mors erat, elysias sequerer comitata per vmbras
Ipsa meam sobolem: &, natas, quas effera ademit
Dextra, eadem inuentas saltem post funera ferret.
Tuque noua feritate minus ferus, & minus ipsa
Infelix essem. nunc heu tua facta superstes
Dira, infanda queri, & sæuos perferre dolores
Orba parens cogor lacrymarum pectora largo
Flumine, & insanis implens tecta alta querelis.
Heu qui te tantum in facinus furor improbus egit?
Aut quibus infelix stimulis furialibus actus
Impia in arma ruis? stricto quò perdite ferro
Ire paras? tu ne immeritas, lectoq; iacentes
Occidis natas genitor? tu luminis vsum
Quem dederas, adimis? vitæque & funeris author
Idem eris? an non vulnificum tua visera sentis
Intima idem telum penetrare, & scindere corda?
Ah tibi dum miseræ natæ puerilia iactant
Brachia, teque vocant tremula dum voce parentem,
Amplexusque parant, blandisque tuentur ocellis,
Non furor, & subito ciciderunt arma, manusque
Sæue tuæ? At te, nec rupes aut rupibus altis
Errantes genuere feræ. Phlegetontis ad vndas
Lernæo è monstro genuit te Cerberus ingens,
Teque cruentatis dapibus, Stygijsque lacunis
Nutritum, Eumenides egere in luminis auras.
O vtinam tecum nunquam coniuncta fuissem,
Nunquam funesti tetigissem fœdera lecti.
Aut quæ prima fuit, saltem postrema fuisset
Nox mihi: tum poteram felix occumbere: nunc heu
Heu nunc, quid tanto superest mihi vita dolore?
Fortunata nimis quondam Sypileia mater,
Cui flendo natorum inter tot funera, sensus

Obri-

Obriguere omnes, & facta immobile saxum,
Luctusque, & sæuos potuit superare dolores.
Heu quid agam? vacua ne domo flens omne per æuum
Conquerar? ah deuota domus, scelerataque tecta.
Heu fugite infamis ædes: fugite ocius ædes
Natarum misera pollutas cæde mearum.
Hæc effata, oculis ardens, similisque furenti
Discursu rapitur vario, conuexa domorum
Summa petens, sese demittere culmine ab alto
Per conata fuit: toties vetuere secutæ
Matres, atque viri, & thalamo stratisque reponunt:
Circumstant, dictisque ægram solantur amicis.
Vndiq; crebrescunt luctus, vrbs tota repletur
Questibus, expediunt dum lamentabile funus.
Interea diræ vltrices Acheronte relicto
Tartareisque antris, horrentia colla colubris
Innexæ, flammasq; oculis atque ore vomentes
Authorem sceleris tanti, cædisque nefandæ,
Funereis agitant facibus: præcordia subter
Inijciuntque angues: stimulis versantque, premuntque.
Verberibus nemora alta sonant, rupesq; propinquæ.
Ille furens, pauidusq; hominum consortia linquit:
Et latebras & lustra petit deserta ferarum,
Exul, inops, Cererisque & Bacchi muneris expers.
Noctes atque dies huc illuc peruigil errat.
Nulla quies, nullaque datur consistere terra.
Omnia terrificant, ostentant omnia mortem,
Mortem orat, certusque mori, non inuenit vsquam
Instrumenta necis: laqueo circondare colla
Interdum iuuat, interdum se mergere in amne,
Præcipitemue iugo sese dare destinat alto.
Insequitur furiale malum, intortisque flagellis
Ingeminans fera terga quatit, miser æstuat intus
Igne sacro: longe Euganeis turbatur ab agris
Arua aliena petens, syluas, saltusque pererrat.
Est locus, Italiæ postrema in parte, sub altis
Alpibus, hunc celsis pro mœnibus vndiq; cingunt
Præruptæ cautes: Grignæus perluit amnis
Vnde loco veteres nomen fecere coloni.

Huc Erebi diuæ latitantem & cuncta timentem
Væsanum traxere virum, iam corpore toto
Defessum, toto iam pectore consternatum.
Prædatorem alta velut in conualle secuti
Obsedere lupum agricolæ, cum forte iuuencas
(Armenti decus) exangues stratasque reliquit.
Ille canum morsu latrantum, actusque virorum
Ingenti clamore, fuga petit inuia: & ægre
Crura trahens, nullis audet se credere syluis.
Iamque & cimerios, & iam nox humida pontum
Liquerat, & cælum tenebris amplexa tenebat:
Quum se Meduaci in faciem conuertit, & ora
Tisiphone glauco circumuelatur amictu:
Cornigerum caput ostentat, crinesque virentes,
Muscososque humeros, cui multa aspergine barba
Irrorat promissa genis, toruumque tuetur,
Atq; his aggreditur pauitantem, & territat ore.
O ego quas acies, quæ nam fulgentia cerno
Agmina, scutatosque viros, missasque cohortes:
Vt locus atq; adeo domus hæc circumque supraque
Cingitur, vtque tuæ superest via nulla saluti.
Scilicet hæc deerat nostris infamia ripis
Ob facinus, miser vt manibus post terga reuinctus,
Vtque catenatus, notas traherere per vrbes,
Carnificique secanda dares tua noxia membra:
Quæ trabe de sacra aspiceret pendentia vulgus.
Criminis infandi, & nostri monumenta doloris.
Quin morere, & labem, quæ nunc superimminet, ense
Ablue, & infami tua subtrahe corpora morti.
Tu potes innocuas ferro tris perdere natas,
In te segnis eris? quid stas? num murmura sentis
Effringique fores, vellique è cardine postes,
Et te iam dudum sæua in tormenta reposci?
Certa tibi hæc refero: percepi è fonte propinquo
Omnia, vicinis ego sum qui fluctibus inter
Saxa sonans, patriæque tuæ qui culta pererro
Pinguia, Meduacus musis gratißimus amnis.
Surge age, viuentem si lux te inuenerit orta,
O quæ supplicia, & quantas dabis improbe penas.

Tali-

Talibus inuisam iam dudum abrumpere vitam
Ardentem cupidumque mori Cocytia virgo
Impulit. ergo thorum linquens, durumque cubile
Proripitur nocte obscura, tecta omnia circum
Arma amens quærit: vestigia cæca reuoluens
Huc illuc, & sæpe locum rimatur eundem.
Iamque aderat vicina dies, dabat vndique signa
Lucifer, admonitorque operum prænuntius ales.
Tum mage concutitur formidine pectus anhelum,
Et trepidant fera corda magis, quo lenta moratu.
Longius, & fuscis mors sese subtrahit alis.
Non tulit Alecto vlterius messoris ahenas
Tris, ait, ecce tibi falces sub poste relictas.
Stringe age, scinde audax valida tibi guttura dextra,
Tela inimica fuge, & natarum vlciscere manes.
Dixerat. ille manu falcem moriturus aduncam
Corripit actutum, furijsque accensus Erinnys,
Ter triplici conatus erat proscindere ferro,
Arentis fauces, propereq; effundere vitam,
Verum acies obtusa, tremens seu dextra reliquit
Illum opere in medio: inguloque & gutture aperto
Voluitur vnda ingens tepidi per membra cruoris:
Et nox atra volat liuentia lumina circum.
Hunc vbi seminecem diræ aspexere sorores,
Collapsosque artus, & non sanabile vulnus,
Protinus anguiferas magnis stridoribus alas
Attollunt, superasque auras, cœlumque relinquunt,
Tartaraque & nigras Orci petiere cauernas.
Tum Domus & late intremuit stridente volatu
Omne solum, vallesque imæ, iuga & ardua montis:
Ac veluti concussa solet tremere vndique tellus
Si quando inclusi angustas laxare latebras
Vnà omnes certant, & circum claustra frementes
Nituntur rapidi certatim erumpere venti.
Dum trepidi fugiunt, tremefactaque tecta pererrant
Indigenæ, explorantque locum inuenere iacentem
Ah miserum, & lato patefactum guttur hiatu:
Oraque, turpatumque sinus, & pectora tabo:
Iactantemque manus, atque irrita signa ferentem

Eripe-

Eriperent luctantem animam, penitusque secarent
Colla sibi, optata vt liceat iam morte potiri.
Hi primum turbati animis, & corda dolore
Perculsi mœstique ruunt: varioque tumultu
Scitantur quæ causa necis (quis nam aduena? & vnde?
Hortanturque virum fari, & solantia verba
Adijciunt medicasque manus, & vulnera siccant:
Elisas fauces, & hiantia guttura lino
Consolidant omnemque iubent procul esse timorem
Quando quidem hic tutum hospitium tutique recessus.
Ille his depulsa paulum formidine, & egros
Attollens oculos, atque vndique circumspectans
Agnouit serpentiferas abijsse sorores.
Ac se tum demum incusans, letumque perosus,
Et gemitus, imoque ciens suspiria corde
Testor, ait, lucem hanc superam, atque vsum hunc mihi vitæ
Exiguum, ferro me ipsum petijsse, manusque
Iniecisse mihi (alterius procul omnis abesto
Suspitio) diris furiarum impulsibus actum.
Idem ego vos natæ (prò mens ignara futuri)
Natæ, ego vos potui crudeli perdere dextra.
Tantane me tenuit pietas mea pignora vestri
Consulerem ferro vobis vt rebus in arctis?
Vt pro dote necem, & tumulum pro coniuge ferrem?
Vt turpes ignominias, odiumque meorum
Ah miser, exiliumq; mihi letumq; pararem?
Dum loquitur, subeunt duri impediuntque dolores
Vocis iter, faucesque tument, caua tempora sudant,
Et iam caligant oculi, iam mæsta per auras
Vita leues fugiens exanguia membra reliquit.
Hæc super & matris luctu, furijsque parentis,
Innumeras inter curas, strepitusque clientum
Assiduos, longe Aonidum semotus ab antris,
Dulcibus allectus referebam docte camœnis
PAVLE tuis, PAVLE Adriacæ spes maxima gentis.

FINIS.

